

jus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut poenitentia: & ideo sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio.

Ad tertium dicendum, quod quamvis matrimonium non conformet passioni Christi quantum ad penam, conformat tamen ei quantum ad charitatem; per quam pro Ecclesia sibi in sponsam conjungenda passus est.

Ad quartum dicendum, quod unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in isto sacramento, sed res significata non contenta: & talem rem nullum sacramentum efficit, sed habet aliam rem contentam, & significatam, quam efficit, ut dicitur. Magister autem posuit rem non contentam: quia erat hujus opinionis, quod non haberet rem aliquam contentam.

Ad quintum dicendum, quod etiam in hoc sacramento sunt illa tria: quia sacramenta tantum sunt actus exterior apparentes; sed res, & sacramentum est obligatio quæ innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus; sed res ultima contenta est effectus hujus sacramenti; non contenta autem est res quam Magister determinat.

ARTICULUS II.

Utrum matrimonium debuit institui ante peccatum.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non debuit institui ante peccatum. Quia illud quod est de jure naturali, non indiget institutione. Sed matrimonium est hujusmodi, ut ex dictis patet. Ergo non debuit institui.

2. Præterea. Sacramenta sunt quedam medicina contra morbum peccati. Sed medicina non præparatur nisi morbo. Ergo ante peccatum non debuit institui.

3. Præterea. Ad idem sufficit una institutio. Sed matrimonium fuit institutum etiam post peccatum, ut in littera dicitur. Ergo ante peccatum non fuit institutum.

4. Præterea. Institutio sacramenti debet esse à Deo. Sed ante peccatum verba quæ ad matrimonium pertinent, determinate non sunt dicta à Deo, sed ab Adam: illa autem verba quæ Deus dixit, Gen. 1. 28. Crescite, & multiplicamini, dicta sunt etiam brutis, in quibus non est matrimonium. Ergo matrimonium non fuit institutum ante peccatum.

5. Præterea. Matrimonium est sacramentum novæ legis. Sed sacramenta novæ legis à Christo instituta sunt. Ergo non debuit ante peccatum institui. Sed contra est quod dicitur Matth. 19. 4. Non legitis, quod ab initio qui fecit hominem, masculum & feminam fecit illos, &c.

Præterea. Matrimonium est institutum ad procreationem prolis. Sed ante peccatum necessaria erat homini procreatio prolis, ut in II. Lib. dist. 20. dictum est. Ergo ante peccatum debuit matrimonium institui.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod natura inclinat ad matrimonium, intendens aliquod bonum, quod quidem variatur secundum diversos hominum status: & ideo

oportet quod secundum illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituat. Et ideo matrimonium secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria, etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum; secundum autem quod remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ; secundum autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi; sed secundum quod representat mysterium conjunctionis Christi & Ecclesiæ, institutionem habuit in nova lege; & secundum hoc est sacramentum novæ legis. Quantum autem ad alias utilitates quæ ex matrimonio consequuntur, sicut est amicitia, & mutuum obsequium sibi à conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de ratione sacramenti est quod sit signum, & remedium; ideo quantum ad medias institutiones competit ei ratio sacramenti, sed quantum ad primam institutionem competit ei quod sit in officium naturæ, quantum vero ad ultimam quod sit in officium civilitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod illa quæ in communi sunt de jure naturali, indigent institutione quantum ad eorum determinationem, quæ diversimode comperit secundum diversos status; sicut de jure naturali est quod maleficia puniantur; sed quod talis pena tali culpæ apponatur, per determinationem juris positivi fit.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non est tantum remedium contra peccatum, sed est principaliter in officium naturæ; & sic institutum fuit ante peccatum, non autem propter est remedium.

Ad tertium dicendum, quod secundum diversa quæ oportet in matrimonio determinari, non est inconveniens quod diversas habeat institutiones; & sic illa diversa institutio non est ejusdem secundum idem.

Ad quartum dicendum, quod matrimonium ante peccatum institutum fuit à Deo in hoc quod homini mulierem in adiutorium de costa formavit, & dixit eis: Crescite, & multiplicamini, &c. quod quamvis aliis animalibus dixit, non tamen per ea eodem modo implendum sicut per homines. Adam autem verba illa protulit à Deo inspiratus, ut intelligeret, matrimonii institutionem à Deo factam.

Ad quintum dicendum, quod quantum ad hoc quod matrimonium est sacramentum novæ legis, non fuit ante Christum institutum, ut ex prædictis patet.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium conferat gratiam.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod matrimonium non conferat gratiam. Quia secundum Hugonem, Lib. I. de sacram. part. IX. c. 11. sacramenta ex sanctificatione invisibilem gratiam conferunt. Sed matrimonium non habet aliquam sanctificationem quæ sit de essentia ejus. Ergo non conferatur gratia in ipso.

2. Præterea. Omne sacramentum conferens gratiam, confert ipsam ex materia, & forma sua. Sed actus qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiæ: verba etiam experimentia consensum non sunt causa gratiæ, cum ex eis non sit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo gratia datur.

3. Præterea. Gratia ordinata contra vulnus peccati est necessaria omnibus habentibus vulnus illud. Sed in omnibus invenitur concupiscentiæ vulnus. Si

ergo in matrimonio detur gratia contra vulnus concupiscentiæ, debent omnes homines matrimonio contrahere; & sic esset valde stultum à matrimonio abstinerere.

4. Præterea. Infirmitas non accipit medicamentum ab eodem à quo accipit intensionem. Sed per matrimonium concupiscentia accipit intensionem: quia sicut dicit Philosophus in III. Ethic. cap. ult. insatiabilis est concupiscentiæ appetitus, & per (1) operationem congruam augetur. Ergo videtur quod in matrimonio non conferatur remedium gratiæ contra concupiscentiam.

Sed contr. Diffinitio, & diffinitum debent converti. Sed in diffinitione sacramenti ponitur causalitas gratiæ, ut in 1. dist. patuit. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, erit causa gratiæ.

Præterea. Augustinus dicit, super Gen. ad litteram Lib. IX. cap. VII. quod matrimonium est ægrotis in remedium. Sed non est in remedium, nisi in quantum aliquam efficaciam habet. Ergo habet aliquid efficaciam ad reprimendum concupiscentiam. Sed concupiscentia non reprimitur nisi per gratiam. Ergo confertur in ipso gratia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit triplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod matrimonium nullo modo est causa gratiæ, sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare: quia secundum hoc in nullo differret à sacramentis veteris legis: unde non esset aliqua ratio quare sacramentis novæ legis annumeraretur. Quod enim remedium præbeat satisfaciendo concupiscentiæ, ne (2) in præceptis ruat, dum nimis arctatur, habuit etiam in veteri lege ex ipsa natura actus.

Et ideo alii dixerunt, quod confertur ibi gratia in ordine ad recessum a malo: quia excusatur actus à peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parum: quia hoc etiam in veteri lege habuit: & ideo dicunt, quod facit recedere à malo, in quantum mitigat concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur; non autem per gratiam illam fit aliquid auxilium ad bene operandum. Sed hoc non potest stare: quia eadem gratia est quæ impedit peccatum, & quæ ad bonum inclinat, sicut idem calor qui auferit frigus, & qui calefacit.

Unde alii dicunt quod matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur: & hoc probabilius est: quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa, sicut patet quod omnibus potentiis animæ respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi sua uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia sine qua id convenienter facere non posset, sicut etiam de potestate ordinis supra dictum est: & sic ista gratia data est (3) ut jam res contenta in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut aqua baptismi habet quod corpus tangat, (4) & cor abluat ex tactu carnis Christi; ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus sua passione illud representavit, non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis.

(1) Al. oppositionem. (2) Al. in præceptis. (3) Nicolai: ultima res. (4) In editis & corpus. (5) Al. cognita.

Ad secundum dicendum, quod sicut aqua baptismi, vel forma verborum non operatur ad gratiam immediate, sed ad characterem; ita actus exteriores, & verba experimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii: & hujusmodi nexus ex virtute divinæ institutionis dispositive operatur ad gratiam.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, nisi contra concupiscentiæ morbum posset aliquid efficacius remedium adhiberi. Adhibetur autem majus remedium per opera spiritualia, & carnis mortificationem ab illis qui matrimonio non utuntur.

Ad quartum dicendum, quod contra concupiscentiam potest præstari remedium dupliciter. Uno modo ex parte ipsius concupiscentiæ, ut reprimatur in sua radice; & sic remedium præstat matrimonium per gratiam quæ in eo datur. Alio modo ex parte actus ejus, & hoc dupliciter. Uno modo ut actus ad quem inclinat concupiscentia, exterius turpitudine careat, & hoc fit per bona matrimonii, quæ honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo ut actus turpitudinem habens impediatur, quod fit ex ipsa natura actus: quia dum concupiscentiæ satisfit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat: propter quod dicit Apostolus, I. Corinth. VII. 9. Melius est nubere quam uri. Quamvis enim opera concupiscentiæ (5) congrua secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt, quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones, & habitus.

ARTICULUS IV.

Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.

III. P. q. XXIX. art. 2.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod carnalis commixtio sit de integritate matrimonii. In ipsa enim institutione matrimonii dictum est, Gen. 11. 24. Erunt duo in carne una. Sed hoc non fit nisi per carnalem commixtionem. Ergo est de integritate matrimonii.

2. Præterea. Id quod pertinet ad significationem sacramenti, est de necessitate sacramenti, ut prædictum est. Sed carnalis commixtio pertinet ad significationem sacramenti, ut in littera dicitur. Ergo est de integritate sacramenti.

3. Præterea. Hujusmodi sacramentum ordinatur ad conservationem speciei. Sed conservatio speciei non potest fieri sine carnali commixtione. Ergo est de integritate sacramenti.

4. Præterea. Matrimonium est sacramentum, secundum quod remedium contra concupiscentiam præstat, de quo dicit Apostolus I. Corinth. VII. 9. quod melius est nubere quam uri. Sed hoc remedium non præstat in his qui carnaliter non commiscuntur. Ergo idem quod prius.

Sed contra. In Paradiso fuit matrimonium. Sed ibi non fuit carnalis copula. Ergo commixtio carnalis non est de integritate matrimonii.

Præterea. Sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commixtione est matrimonium sanctius, ut in littera dicitur. Ergo carnalis commixtio non est de necessitate sacramenti.

SO.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod duplex est integritas. Una quæ attenditur secundum perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse rei; alia quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio est quedam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de secunda integritate matrimonii, & non de prima.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam exposuit integritatem matrimonii quantum ad utramque perfectionem, quia res ex suo actu innotescit.

Ad tertium dicendum, quod res non pervenit ad finem suum nisi per actum proprium: unde ex hoc quod finis matrimonii non habetur sine carnali commixtione, ostenditur quod sit de secunda integritate, & non de prima.

Ad quartum dicendum, quod ante commixtionem carnalem est matrimonium in remedium ex gratia quæ in eo datur, quamvis non ex actu, quod pertinet ad integritatem secundam.

EXPOSITIO TEXTUS.

CUM alia sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino. Videtur quod de matrimonio debuerit determinare ante ordinem: quia prius est quod animale est quam quod spirituale est, ut dicitur I. Corinth. xv. Et dicendum, quod quamvis sit primum in via generationis, tamen in via sanctitatis, & perfectionis est posterius: & ideo illud sacramentum quod habet minimum de spiritualitate, ultimo debet inter sacramenta ordinari.

Una de costis ejus sumpta, & exinde muliere formata. De hoc dictum est in II. Lib. dist. xviii.

Propheticè dixisse; ut propheta referatur ad mysterium Christi & Ecclesiæ, quod prævidit, non ad usum mulieris (1) quæ solo sensu percipi poterat (2) naturali ratione. Nec consequitur quod si incarnationis mysterium prævidit, suum casum præciverit, etiam supposito quod Christus non fuisset incarnatus homine non peccante: quia multa sunt quorum unum non est sine altero, quamvis unum sine altero possit intelligi.

Remedium habet, non præmium, scilicet accidentale, quale habet virginitas, scilicet aureolam.

DISTINCTIO XXVII.

Quæ sint consideranda in conjugio.

Post hoc advertendum est, quid sit conjugium, & quæ sit efficiens causa conjugii, & causa propter quam contrahi debeat, & quæ sint bona conjugii, & quomodo per ea excusetur coitus carnalis, & quæ sint legitimæ personæ ad matrimonium. Sunt & alia plura in matrimonio consideranda, quæ sub compendio perstringemus.

Quid sit conjugium.

Sunt ergo nuptiæ, vel matrimonium, viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuum vitæ consuetudinem retinens. Ad individuum consuetudinem vitæ pertinet quod absque consensu alterius neuter continentiam profiteri potest, vel orationi vacare; & quod inter eos, dum vivunt, vinculum conjugale permanet, ut alii se copulare non liceat, & ut invicem alter alteri exhibeat quod quisque sibi. Hac autem descriptione legitimorum, & fidelium tantum matrimonium includitur.

De consensu qui efficit conjugium.

Efficiens autem causa matrimonii est consensus, non quilibet, sed per verba expressus, nec de futuro, sed de præsentibus. Si enim consentiant in futurum, dicentes: Accipiam te in virum, & ego te in uxorem: non est iste consensus efficax matrimonii. Item si consentiant mente, & non expriment verbis, vel aliis certis signis, nec talis consensus efficit matrimonium. Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus; obligatio illa verborum, quibus consentiant dicentes: Accipio te in virum, & ego te in uxorem: matrimonium facit.

Auctoritatibus probat quod solus consensus facit matrimonium.

Quod autem consensus matrimonium faciat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Isidorus: (a) „Consensus facit matrimonium.“ Item Nicolaus Papa: (b) „Sufficiat solus secundum leges eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur: qui solus si forte in nuptiis defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.“ Item Joannes Chrysostomus: (c) „Matrimonium non quidem facit coitus, sed voluntas: & ideo non solvit illud separatio corporis.“ Item Ambrosius: (d) „Non defloratio virgi-

(1) *Al.* quæ consensu percipi &c. (2) *Nicolai:* seu naturali ratione. Ex Edit. P. Nicol. (a) In Isidoro non occurrat, sed tantum Lib. I. etymol. vel origin. tit. de conjugii, inde sponsum & sponsam dici, quod in iura matrimonii consentirent. (b) Primus ad consulta Bulgarorum cap. 111. & habetur in Decret. causa xxvii. q. 11. cap. Sufficiat, cap. Matrimonium, cap. Cum initiatur, & cap. Coniux. (c) Sive Auctor operis imperfecti homil. xxxii. in Matthæum. (d) Lib. de institutione virginis cap. vi.

nitatis facit conjugium, sed pactio conjugalitatis. Ex his apparet quod consensus, id est pactio conjugalitatis, matrimonium facit, & ex tunc conjugium est, etiam si non præcessit, vel secuta est copula carnalis.

Quando incipiat esse conjugium.

Quod enim ab ipsa desponsatione, in qua pactio conjugalitatis exprimitur, conjuges sint, Sanctorum testimonia probant. Ait enim Ambrosius (ut supra) „Cum initiatum conjugium, conjugii nomen asciscitur; cum conjungitur viro, conjugium est, non cum viri admixtione cognoscitur.“ Item Isidorus, ut supra. „Conjuges verius appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalitatis cubitus.“ Item Augustinus, Lib. I. de nupt. & concup. cap. xi. „Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat agnitus: nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, (1) ubi non fuerat, nec futura erat carnalis commixtio: propter quod fidele conjugium ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solum illa mater, sed etiam ille pater ejus, sicut coniux matris ejus; utrumque tamen mente, non carne.“ Ex his evidenter insinuat, quod ex tempore quo intercedit consensus voluntarius, ac maritalis, qui solus conjugium facit, veri conjuges sunt sponsus, & sponsa.

Secundum quosdam non est conjugium ante carnalem copulam, sed sponsi, & sponsæ sunt.

Quidam tamen asserunt, verum conjugium non contrahi ante traditionem, & carnalem copulam, nec vere conjuges esse aliquos antequam intercedat commixtio sexus; sed à prima fide desponsationis vir sponsus, & mulier sponsa est, non coniux. Sponsus autem, & sponsa conjuges frequenter appellari dicunt, non quia futuri sunt, sed quia futuri sunt; cujus rei sponsonem invicem fecerunt: & secundum hoc verba præmissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

Quæ ratione nituntur.

Quod vero inter sponsam & conjugem plurimum intersit, ex eo adstruunt, quia licet sponsæ ante carnalem copulam inconsulto, vel nolente sponso monasterium eligere: quo facto, sponso etiam licet aliam ducere: conjugatus vero, vel conjugata nec continentiam nisi ex communi consensu servare valet, nec monasterium petere, nisi uterque continentiam pariter profiteatur. Quod vero licet sponsæ monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. Ait enim Eusebius Papa: (e) „Desponsatam puellam non licet parere, tamen licet sibi monasterium eligere.“ Item Gregorius: (f) „Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo penitus (2) censuerunt damno multari.“ Refert etiam Hieronymus, (g) quod Macarius inter Christi eremitas præcipuus, celebrato nuptiali convivio, cum vespere thalamum esset ingressurus, ex urbe egrediens transmarina petiit, & eremi solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. His auctoritatibus, & exemplis liquet licere sponsis sine consensu suarum sponstarum, & è converso, continentiam profiteri.

Quod conjugatus, vel conjugata nequeant continentiam profiteri sine alterius consensu.

HOC autem conjugatis nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitæ propositum sumere sine uxoris consensu, & è contrario. Unde Gregorius scribens Theotice Patriarce: (h) „Sunt qui dicunt religionis gratia conjugia debere solvi. Unde sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, tamen lex divina prohibuit. Si vero utrisque continentiam vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic enim multos Sanctorum novimus cum suis conjugibus & prius continentem vitam duxisse, & post ad sanctæ Ecclesiæ regi in migrasse. Si vero continentiam quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat; conjugium dividi non potest, quia scriptum est, I. Corinth. vii. 4. Mulier potestatem suæ carnis non habet, sed vir: similiter & vir potestatem suæ carnis non habet, sed mulier. Idem: (i) „Agathosa latris presentium quæstæ est virum suum contra voluntatem suam in monasterium esse conversum: qua propter experientia tuæ præcipimus ut diligenti inquisitione discutias, ne forte ejus voluntate conversus sit, vel ipsa mutare se promiserit. Et si hoc repereris, & illum in monasterio permanere provideas; & hanc, sicut promisit, mutare vitam compellas. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod licet uxorem dimittere, prædictam mulierem commisisse cognoveris; ne illius conversio uxori relicta in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiamsi jam tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante. Quia nisi fornicationis causa virum uxorem dimittere nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione conjugii viri & mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte remanere in sæculo.“ Item ex VIII. Synodo: (k) „Si quis conjugatus converti ad monasterium velit, non est recipiendus, nisi prius à conjugate castimoniam proficiente fuerit absolutus. Tales ergo tunc sine culpa sequuntur Christum relicto

(1) *In edit. Nicolai:* ubi non futura erat, (2) *Al.* consueverunt.

Ex Edit. P. Nicol. (e) Tom. I. Concil. part. 1. & refertur in Decret. causa xxvii. quæst. 11. cap. Desponsatam. (f) Lib. VI. Epistolarum indict. xv. epist. xx. & refertur in Decretis loc. cit. cap. Decreta legalia. (g) Hæc appendix à Gratiano addita est post cap. Scripsit nobis ex Nicolao Papa sumptum; sicut & quod sequitur de Alexio. Non autem Hieronymi est; sed aliorum trium, qui Macarii Romani vitam conscripserunt, sicut in vitis Patrum videre est. (h) Lib. IX. Epistol. indict. iv. epist. xxxix. (i) Bod. Lib. epist. xliv. (k) Nec in verâ & legitima modo extat, nec in ea etiam quæ Photii pseudosynodus appellatur. Ex Basilio autem in Regulis rursus disputatis cap. xii. colligi potest, ut & causa xxvii. quæst. 11. cap. Si quis appendix notat.